



**Disputationvm De Censuris In Communi,
Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

2 Vtrum infamia ex crimine inferat irregul.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

SECTIO II.

Virum, infamia ex crimine resultans, irregularitatem inferat, & quantum duret.

A fo etiam sequitur, ablata infamia auferri irregularitatem, quia est veluti fundamentum & adaequata causa eius, argumento capituli, Cum cessante, de Appellatione.

De ablatione huius irregularitatis.

1. Conclus. **R**imo certum est infamiam parere irregularitatem, quia infamis non est ad ordines Ecclesiasticos admittendus, ca. Infamis, 6. quæst. 1. cap. 1. *Qui in aliquo, dist. & ex cap. Testes, 2. quæst. 7. generalem regulam colligit Gloss. eos, qui propter infamiam repelluntur à testimonio, esse etiam irregulares: licet Damasus Epist. 3. capit. 3. non absoluit de testimonio, sed in causa contra Episcopum loquatur. Fauet etiam quod dicitur in penult. reguli iuris in 6. Infamis porta non pateat dignitatem. Et hæc est communis sententia Panormitani in cap. Licet Heli, de Simon. Archidia. in ca. Deinde, 26. dist. num. 5. Syluest. & aliorum Summistarum verb. Infamia, & verb. Irregularitas, Nauarr. cap. 27. n. 104. Maiol lib. 3. ca. 1.*

2. Conclus. Secundo dicendum est, irregularitatem hanc incurri per omnem infamiam canonicam, & per solam illam. Prior pars constat ex præcedenti assertione, quia iura generatim loquuntur. Posterior patet, quia hæc irregularitas est impedimentum canonicum: ergo non potest nisi per canonicam infamiam incurri. Item, quia debet esse in iure canonico expressa, & consequenter annexa tali infamiae ex vi eiusdem iuris, & hoc est infamiam esse canonicam, ut iam declaratum est.

3. Conclus. Tercio nihilominus addendum est, irregularitatem hanc incurri non solum per infamiam iuris, sed etiam per infamiam facti, dummodo canonica sit, modo à nobis explicato. Est communis cum Speculatore titulo de Dispensatione, §. Iuxta, ver. 17. & sumitur ex iuribus citatis, & ex cap. Qui in aliquo, dist. 51. & cap. Omnipotens, de Accusationibus. probatur, quia utroque modo persona est simpliciter & actu infamis, & hæc est ipso facto & sine alia sententia irregularis, ut probant adducta in prima assertione. Declaratur primum in hunc modum, quia vellex canonica, aut (quod perinde est) lex civilis canonizata, propter crimen imponit infamiam ferendam, vel ipso iure latam. In priori casu ante sententiam non contrahitur infamia, nec iuris, nec facti, quantumvis delictum fuerit publicum, ut ostensum est, & ideo tunc non oritur irregularitas, sumus enim extra terminos conclusionis positæ, quia persona illa nullo modo est infamis. Post condemnationem autem iudicis de tali crimine manet persona irregularis, quia manet infamis: Nec vero propterea dicendum est irregularitatem illam per sententiam, & non ipso iure contrahi: nam sententia per se solum infert infamiam & eo ipso ex vi aliorum iurium sequitur irregularitas. Et ita patet prima pars conclusionis. In posteriori autem casu quando lex ipso iure imponit infamiam propter delictum, ante sententiam incurritur etiam irregularitas ex vi ipsius facti, iuxta exigentiam legis, & ita patet altera conclusionis pars.

4. Corollar. Atque hinc facile expeditur communis quæstio, An hæc irregularitas incurrat propter crimen occultum, vel per publicum, & si per publicum, an per publicum iure, vel facto. Dicendum enim generaliter est, respiciendum esse ad infamiam, quæ est fundamentum huius irregularitatis; nam illud delictum, eiusque conditio, quæ ad infamiam canonicam contrahendam sufficiens fuerit, iuxta dicta in sectione præcedenti, sufficit consequenter ad irregularitatem. Vnde etiam fit, durante infamia, duret hæc irregularitas, quia repugnat infamem esse aptum ad ordines, in sensu composito, ut sic dicam. Et è conuer-

Fr. Suarez tom. 5.

Contra hæc vero posteriorem partem occurrunt nonnulla dubia, quæ attingant posteriorem partem in titulo quæstionis propositam, quantum scilicet hæc irregularitas duret, vel quibus modis auferatur. Primum est, an hæc irregularitas talis sit, ut per poenitentiam peccati auferatur, sine noua dispensatione, videtur enim id sequi ex regula posita: quia per poenitentiam & emendationem auferitur infamia. Ad hoc vero sub distinctione respondendum est: quædam enim peccata sunt, quæ reddunt personam infamem, ex eo præcisè, quod semel commissum sunt: alia solum ex eo, quod in eis perseueratur publice, siue per impoententiam siue per virtualement continuationem, vel frequentiam, ut permittendo in concubinato, in publico odio, retinendo male parta, &c. Quæ distinctio aperte colligitur ex cap. Testimonium, de Testibus. In peccatis prioris generis, non auferitur irregularitas per poenitentiam, quia poenitentia non facit innocentem, & ita non tollit infamiam, quando illius fundamentum est solum hoc commissum delictum: non sufficit ergo poenitentia, sed necessaria est dispensatio. In peccatis autem posterioris generis tollitur per emendationem proportionatam, & æque publicam: quia illa tollit talem infamiam, optime docuit Innocentius communiter approbatus in dict. cap. Testimonium, de Testibus.

Sed vterius superest declarandum, quæ sint crimina vnius, & alterius generis. In quo dicendum est primo, quodlibet crimen seu peccatum mortale publicum constituere hominem canonice infamem, atque adeo irregularem quamdiu in eo statu publice perseuerat. Ita sumitur ex cap. Testimonium, de Testib. c. Constituimus, 3. q. 5. Infames, cap. Illi, 6. q. 1. ubi omnes illi, de quibus ait Apostolus. Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur, infamiae maculis aspersi esse dicuntur. Id autem generaliter dictum est de omnibus qui mortaliter peccant. Ut autem hoc solum intelligatur de perseuerantibus, in illo statu, additur in eodem textu, Nisi sacerdotali auctoritate subuenientur sit, utique per poenitentiam, ut ibi Tur. Turritum. recrem. q. 1. num. 6. & alij exponunt, & colligitur etiam ex dict. c. Testimonium, ibi, Si in crimine perseueret, & ex ca. Si duo, 3. q. 6. ubi, Infames effectos donec ab incestu facinore desinant. Vbi Gloss. infames (inquit) infamia canonica, quæ deletur per poenitentiam. Et interdum habet locum hic modus infamiae, etiam si crimen habeat annexam excommunicationem ipso facto sine speciali nota infamiae per sese illata, tunc enim satisfacta Ecclesia, & ablata excommunicatione, auferitur infamia, ut in dict. cap. Infames, &c. Illi, & aliis expresse dicitur: & consequenter etiam tollitur hæc irregularitas.

Secundo dicendum est, quando infamia per iudicis sententiam, vel per legem ipso facto imposita est, tunc irregularitas, quæ ex illa nascitur, non auferitur per poenitentiam, sed necessaria est dispensatio, secus autem est quoties lex non imponit infamiam ipso facto, nec iudicis sententia est. Prior pars est communis & certa: quia tunc infamia non auferitur per sententiam, est enim poena quædam, & legalis indignitas, non ad certum tempus, sed indefinitè, ac proinde ex se perpetuo imposita: ergo sicut nittitur auctoritate Principis, seu legis, ita per solum illam auferri potest qui potest in lege dispensare, sicut suspensio, & quælibet alia poena simili modo imposita.

Posterior autem pars proposita est propter quosdam Doctores asserentes, quoties infamia nascitur

R r r

An per poenitentiam, delicti irregularitas hæc auferatur.

Innocent.

Quæ sint peccata quæ reddunt infamem ex eo, quod in eis perseueratur. Cap. Testimonium, de Testib.

Quando infamia non tollatur per poenitentiam.

Quorundam ex sententia.

Verum, Ex infamia non fundata in proprio delicto illius personæ nascatur irregularitas.



Omnis & certa doctrina est, hanc infamiam aliquando sufficere ad irregularitatem, non tamen semper, sed potius raro. Vt autem doctrinam hanc per partes explicemus, dicendum in primis est, Ex infamia facti, quæ non fundatur in peccato proprio ipsius personæ, nunquam fieri irregularitatem speciali iure. Ante probationem aduertendum est, sermonem esse de sola ac præcisâ infamia, non de fundamento eius. Alioqui ex eo capite poterit nasci impedimentum, vt si quis habeatur ignorans, aut imprudens, ex defectu iudicii sine culpa, vel ex alio simili defectu. Sed illud impedimentum si ad irregularitatem sufficiat, non erit propter infamiam, sed propter ineptitudinem personæ ad tale ministerium, iuxta dicenda infra de defectibus, ad quod caput illa irregularitas pertinebit. Hoc ergo supposito, probatur assertio: quia seculum humanum iure, nullus sine culpa propria notatur tali infamia, quæ reddat illum inhabilem, vel moraliter impeditum ad aliquos actus legitimos, vel honores, ergo nec ad ordines, quoad nos spectat: Patet quia talis infamia non potest induci ex sola natura rei, ex qua solum peccatum, vel prauis mores constituunt hominem dignum, vt mala opinio de illo habeatur, atq; adeo obiectum illius infamiae, quæ in facto consistere dicitur. Vnde, sicut Aristoteles dicit i. Ethic. ca. nono, honorem soli virtuti proprie debetur, quem imitatus est D. Thom. 2.2. qu. 63. arti. 3. ita nos dicimus, solum peccatum, seu prauum opus ex natura rei esse obiectum infamiae facti. Vnde, si ultra proprium peccatum extenditur, illud semper est propter aliquam significationem, vel habitudinem: sicut honor interdum tribuitur propter alios titulos, qui indirecte & per aliquam habitudinem reducuntur ad virtutem, vt D. Thom. exponit. Quia tamen hæc extensio arbitraria est, & pendens ex humana, & sæpe ex mundana prudentia; ideo nulla talis opinio hominum reputatur vera infamia in ordine ad aliquos actus, vel ministeria Reipublicæ, nisi aliqua lege comprobata sit, quia aliqui sæpe res tota penderet ex vulgi estimatione, & tot fere essent opiniones, quot ingenia. In hoc ergo sensu dicimus, puram infamiam facti non esse, nisi sit de proprio delicto, aut vero aut communiter existimato. Vnde sicut irregularitas, ita etiam hæc infamia non incurritur, nisi in casibus à iure expressis. Est enim ratio eadem. Nā licet talis infamia nō sit propria poena respectu personæ cui imponitur, cum non sit propter delictum eius; est tamen magnum nocumentum, & ideo sine expressa lege non imponendum, iuxta communem regulam Iuris peritorum, quam late tractat Tiracuellus in verb. *Reuertatur*, nu. 248. & sequentibus: nam, licet illi de poena loquantur; tamen comprehendunt omnem priuationem, & omne nocumentum ex se poenale. Quin potius maiori ratione restringendum hoc est, quoties absq; propria culpa incurritur dicitur, quam cum est propria poena propter culpam. Quocirca sicut in irregularitatibus non admittitur extensio propter similitudinem, vel maiorem etiam rationem causæ, ita neq; in infamia, quia hæc etiam non pendet tantum ex ratione, vel causa, sed ex voluntate legislatoris, quam non oportuit esse eandem in poena vel priuatione imponenda, etiam si causa videatur similis. Maxime, quia, licet in aliquo sit similitudo, in necessitate, vel occasione imponendi infamiam potest non esse. Ac denique hic habet locum regula de odiis restringendis.

Communis doctrina. Conclus.

Suadetur prior pars.

Aristot.

D. Thom.

Suadetur posterior.

Tiraquell.

quia proprie tollatur, sed quia nunquam fuit in tali persona: ius enim canonicum non cadit in personam non baptizatum, & ideo non facit illam infamem ante baptismum: multo vero minus inducit denuo in ipso baptismo talem infamiam propter delictum antea commissum, quia illa infamia poena quædam est, & Ecclesia non punit talia delicta.

Non tamen infamia in re ciuili.

Concllar. Panorm.

De iur. Felini.

Infamis per leges ciuiles infidelium si baptizatur non manet infamis nec irregularis.

De infamia vero ciuili non procedit hæc ratio, quia homo non baptizatus iure ciuili obligatur, si temporaliter subditus sit ubi tale ius seruatur, & ideo incurrit poenas talis iuris, quarum vna est infamia: ergo talis infamia ciuilis non tollitur per baptismum, quia hoc nec per se & intrinsece spectat ad effectum baptismi ex vi solius institutionis, vt constat ex propria materia in 3. Tomo, neque reperitur aliquod ius Ecclesiasticum, in quo hoc ei concedatur. Quapropter si Iudeus Romæ, vel Turca hic per sententiam esset condemnatus, vel flagellatus vt fur, quamuis postea baptizaretur, maneret infamis ciuilitate, & inhabilis ad actus ciuiles, ad quos nō admittuntur infames: quia nec ius ipsum ciuile limitat hanc poenam ad baptizatos, neque ex generali ratione poenæ ciuilis cessat propter baptismum, quia nec poena corporalis, nec pecuniaria cessant. Et certe si ille esset condemnatus ad tiremes, non liberaretur propter baptismum, nisi accederet dispensatio Principis. Idem ergo est de prædicta infamia, cum de illa non sit aliqua peculiaris exceptio, aut lex. Antecedens manifestum est, & de eo videri potest Panormitanus in cap. *Gaudemus*, de Diuorciis, num. 16. Consequentia vero tenet à paritate rationis. Vnde Panormitanus ibi solum dixit, infamiam ex delicto contractam, (quam intelligo esse infamiam facti) tolli per baptismum. Et de eadem re videri potest Decius conf. 130. & in c. *Quia in Ecclesiis*, de Constitutionib. num. 89. & Felinus in ca. *De his*, de Accusationib. numer. 7. vltimus sit, vt talis persona post baptismum etiam maneat canonicè infamis in ordine ad irregularitatem ex tali infamia contractam, ex illo generali principio, quod omnis persona infamis iure ciuili, iure etiam canonico habetur infamis, & ab ordinum susceptione remouetur. Quod ius canonicum complectitur talem personam quamprimum baptizata est, quia per hoc illi non imponitur poena, sed potius illam supponit à iure ciuili impositam, & ratione illius considerat indecentiam, ratione cuius persona fit irregularis.

Dixi autem hoc habere locum in his personis, quæ ante baptismum in Christianorum prouinciis degentes, & ciuilibus eorum legibus subditæ, talem infamiam contraxerunt: nam si in prouinciis infidelium, iuxta illorum iura talis infamia fuisset contracta, & postea quis transfret ad Ecclesiam, & baptizaretur in prouinciis Christianorum, non opinor illum manere infamem in ipsa Ecclesia, vel irregularem. Ratio potissima est, quia quando canones dicunt, omnes illos esse infames, quos leges ciuiles infames faciunt, videntur plane loqui de legibus ciuilibus, quibus principes vel Reipublice Christianæ videntur, & de infamia ciuili, quæ intra ipsam Ecclesiam existit, nam hæc est, quæ in existimatione habetur, quæne indecentiam secum affert, nam illa, quæ omnino foris est, & inter infideles, nec consideratur, nec in aliqua existimatione habetur: maxime cum infamia inter infideles sæpe sit irrationabilis, & sine sufficiente fundamento. Accedit etiam, quod in eo casu talis persona omnino mutat forum etiam ciuile, & ideo non videtur manere subiecta poenis ciuilibus in priori statu impositis, inter quas hæc infamia continetur.